NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

## Werk

**Titel:** Speculum Jesuiticum, hoc est, Demonstratio Esauitic[a]e profanitatis, Pelagianae ...

**Untertitel:** 1. Ethnicos fuisse naturaliter Christianos. 2. Fundum articulorum fidei esse rati...

**Autor:** Zephyrius, Ernestus

**Verlag:** Schurerus; Gorman

**Ort:** Witebergae; Witebergae

**Jahr:** 1607

**Kollektion:** VD17-nova

**Gattung:** Ordensliteratur:Jesuiten

**Werk Id:** PPN668481412

**PURL:** http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN668481412|LOG_0027

**OPAC:** http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=668481412

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

*petitu, pariet ipſis reſurrectionis articulum, pariet veram hanc querelam,* Myſterium reſurrectionis à Ieſuitis eorumque ſimilibus non creditur: Si enim ratione capitur, non creditur, imò parum refert ſive credatur, ſive non.

*Faceſſant igitur impiæ ineptiæ Syllogiſticæ Eſauiticæ, in articulo reſurrectionis, creditu difficillimo.*

## EXERCITATIO III.

*ἀντίδωρα offerens Gryzero pro Honorario Polycarpiano, &c.*

### SECTIO I.

### Reponens Suitæ Gretzero Suem, pro illa calumnia, qua B. Lutherum proclamat Scurram, porcum bipedem.

THeſaurum in lingua habet Gretzerus, qui hominibus ejus farinæ eſt familiaris, bene videlicet maledicere, & ſic propriam indolem oſtendere. Indignis modis invehitur Suita in B. Lutherum, eumq; calumniarum, convitiorum excrementis commaculare conatur.

In Paneg. Miſen. vocat Electum Dei Organon porcum bipedem, ſcurram. Hæc convitia, quando primum legi, nulla reſponſione digna judicavi, ſed potius riſu & contemptu, præſertim cum ſciverim verſus Mantuani de Pontificijs dudum ſcriptos: Sanctus ager Scurris, venerabilis ara cinædis Servit &c. Verùm, quando Honorar. Poly. perluſtravi, inveni quoddam incitamentum ad reſponſionem, ἀντιδῶρα loco Gryzero offerendam.

Apologiam texit ſuis nugis & calumnijs Gretzer. p. 524. Honor. Pol. hanc: vitio nobis vertit prædicans, quod ad convicia Haſemulleriana & ad Polycarpica mendacia & maledicta non ſilui-

luimus. Ad quod nihil aliud reſpondeo, quam illud Salomonis, Eccl. 3. Tempus tacendi & tempus loquendi: Ibidem adducit exemplum Iobi, dictum Ambroſij &c. multa garrit: Et tandem ait: aliquando tacendum: ſed num perpetim tacendum? Minime. Liceat mihi idem quod Suitæ licuit: liceat mihi, non profundendis mendacijs, & fundandis falſis, ſed veritati conſentaneis, paucula reſpondere & ſic ἀντίδωρον reciproca cum liberalitate & gratitudine Gretzero exhibere.

Pro porco igitur, quem tu χύζων Suita, Luthero obtrudis, ego tibi Suem repono Mahumeticam, video enim te Suitam vocabulo porci mirum in modum gaudere, illud in ore ſemper habere, imò rem ipſam (ex abundantia oris cordis Theſaurum metior) in cordis tui Suitica medulla.

Oſiand. tom. 16. Anno 1523 natus eſt Halæ Saxo. porcus, qui Sacerdotis Pontificij Suitici caput habuit, Typus Gryzeri.

Speculum ortus Eſauitici, Alcoranus Mahometi, tale habet: Narrat, Suem ex Elephanti ſtercore, murem ex ſuilo excremento natum, catum ex fronte

Luth. Tom. 8. Ien. in refut. Alcorani p. 25.

*Leonis: Explicat autem ita: Cum Noah unâ cum ſuis liberis & reliquis animalibus in arca eſſet, & loca ſecretiora, naturæ neceſſitati deſtinata, adiret, ſtructura tota minabatur ruinam, præſertim præſente Elephanto. Metuebat autem ſibi Noah, & faciem Domini quærebat; Hic reſpondebat ei: Accede & adora ante meatus excrementoſos Elephanti: Faciebat Noah, & ecce cũ excrementis profluebat magnꝰ porcꝰ.*

*Ex hac fabula cauſam arceſſit Mahomet, cur Iudæi, carne ſuilla non veſcantur; Suſpicetur hinc quilibet facilè, quare Suitæ certis diebus abeſu carnium abſtineant. Revera enim Eſauitæ hic in Alcorano habent ſui ordinis picturam, quemadmodum Rabbini Iudæorũ in Schemamphoras, omnium oculis publicè expoſito. Ælianus curavit ſuper liminari imponi ſuem in Iudæorum ignominiam, & notam perpetui exilij, & futuræ à nova urbe perpetuæ abſentiæ: Vngari, Venetiani hodie ſimili modo ponere poſſent ſuem Suitis, notã perpetuæ excluſionis.*

Cone

Conferat, qui volet, ſingula membra Mahometicæ inventionis, & videbit miram meramq; Harmoniam.

Papa cum ſuis excrementis in regno ſuo, tanquam arca, jam jam diluvio abſorbenda, erat, quia ſubinde σκύβαλα (ſic enim Coloſſ. 3. vocat Paulus Pontificiorum propriam & fictitiam juſtitiã) augebantur: Metuit Papa merſionẽ, præſertim quia Elephantes in arca Pontificia (id eſt, Monachi præpingues, obeſi, indocti, Tezelius & alia imprudentiæ & inſcitiæ monſtra graviora) reperiebantur: Adoravit igitur Pontifex admonitus à ſuo Spiritu, ad meatus putridos poſticos Ignatij Lojolæ: Exierũt igitur ingenti copia Suitarum excremẽta, i.e. Ieſuitæ σκύβαλα Papalia volutantes. Cape tibi Gryzere hanc ſtrenam, nomini tuo apprimè convenientem: Gryzerus enim dicitur ἀπὸ τοῦ γρύζειν, quod eſt ſuum more grunnire.

Tu ſcurra Papalis, nomẽ Rev. viri Dn. D. Polycar. Lyſeri per inſignẽ contumeliã detorſiſti ad germanicũ fœdi animalis

*nomen, & quidem præter verum & æquum hoc ipſum feciſti: Non igitur ægrè feras, te tui nominis non germanicum, ſed ſublimius, videlicet Græcum omen audire.*

## SECTIO II.

### Offerens alterum Honorarium Gretzero pro Honor. Polycarpiano.

*HOnorarium ex mendacijs, calumniis, convitiis, ſcommatibus compoſitum, tranſmiſit noſter χεύζων Suita Reveren. ac clariß. viro Dn. D. Polycarpo Lyſero, quemadmodum ipſe vides & legis lector benevole. Sane in eo datur circulus & idem numerus vocum & mendaciorum, idem ambitus verborum & nugarum, quibus homo inhonorabilis ignobilis futilis ( Eſaiæ 3. v. 5.* Ein loſer Mann wider den Ehrlichen) *inſurgit contra virum gravem, vultu honorabilem, adeò ut quadrent in Gryzeri excrementa, verba Pſal. 119. v. 69.* In-

Integra volumina mendaciorum comminiſcuntur.

*Non opus eſſe puto chartæ jacturam fieri nova ſcriptione iſtarum nugarum, quibus conatus eſt Suita deformare optimum virum: Magis neceſſarium puto de ἀντιδώρῳ, & gratitudine cogitare, ne conqueratur Suita, ſe vacuum & inanem eſſe dimiſſum:* Suum enim venter caret auribus. *Cogitanti autem mihi de munuſculo, occurrit forte pictura aſini Pontificij, à Melanchthone explicata & Pontificijs artificiosè applicata; vide lector benevole Tom. 2. Ienenſem B. Lutheri p. 267. & ſingularũ partium explicationem Gretzero applica, videbis caput aſininum, os Draconis poſterius, evomens calumniarum excrementa, (Eſa. 9. v. 15. falſi doctores vocantur caudæ) & reliqua membra, apprimè convenire.*

*Sane meo patricinio inſigne Dei & Eccleſiæ organon, D. Polycarpus non eget; Ipſe veſpertilionum, Ieſuitarum oculos ſuis virtutibus perſtringere po-*

*teſt: Sufficiat mihi tantùm Suitæ Gretzero Honorarij loco aliquid repoſuiſſe: ſatis mihi ſit, de ἀδυναμίᾳ ejus, ( quia ille blaſphemè Spiritus ſancti ἀδυναμίαν confringere audet) ſic conclamare:* Non poteſt, non poteſt Gretzerus per ſcripturam reſpondere: Non poteſt, non poteſt igitur non maledicere, furere, grunnire, rudere, γρύζειν, latrare, *inſanire. Non poteſt, non poteſt nō ex ore Draconis excrementa mendaciorum, calumniarum, evomere. Euſeb. lib. 4. cap. 14. ſcribit:* Vniverſa multitudo quæſivit cum admiratione, utrum tantum eſſet diſcriminis inter infideles & electos, è quorum numero eſſet Polycarpus vir noſtris temporibus præſtantiſſimus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Quæret ſimiliter, Gretzere, univerſa multitudo Eccleſiæ an tantum diſcrimen ſit inter infidelem Gretzerum, Spiritus ſancti omnipotentiam negantem, & D. Polycarpum Lyſerum noſtro ſeculo Theologum excellentiſſimum. Reſponſum accipiet:*

*Infi-*

*Infinitum: tanquam inter fidelem & infidelem, blaſphemum & non blaſphemum,* θεόλογον καὶ ἀθεόλογον, ἄθεον, *Suitam, ſuem, & hominem.*

## SECTIO III.

### Offerens Honorariū Gretzero pro ſcelere, quo Reverend. & Clariſs. viris Dn. D. Polycarpo, nec non D. Mylio ſeditionis crimen falsò intentat.

M*Ahomet, in ſua conſcientia convictus & conſtrictus, de ſuorum librorum mendacijs copioſiſsimis ipſe teſtimonium perhibuit: Scripſit ille librum, continentem duodecim millia verborum. Admirantes autem quidam, & de veritate illorum quærentes, accepêre reſponſum à mendace*, tantùm tria millia eſſe vera, reliqua plenè &

Luth. Tom. 8. Ien. p. 25.

nè & planè eſſe mendacia. *Hinc deprehenſa vel oſtenſa in illo libro falſitate, dicunt Sarraceni: Ipſe Mahomet dixit, non omnia eſſe vera, & ea ex parte mendaciorum eſt etiam hoc ipſum, quod modò reprehenditur.*

*Nulli meherclè libro hæc accommodari poterunt melius, quam tractatui Gretzeriano in quem jam calamum ſtringo: Conatur ille B. Luthero Mahometi nequitiam affricare, verùm manifeſta falſitate. Bellarminus enim jamdudum, ut ſupra patuit, ſe & reliquos Suitas ad Mahometi ſcholam, ad naturalem, Iudaicum, Turcicum Chriſtianiſmum detruſit. Boni igitur conſulant Naturales Chriſtiani, Mahometani Suitæ, picturam Eſauiticæ veritatis, à proavo ipſis relictam.*

p 17. Pane. Meſen. *Mentiris ſplendide Gretzere, ita de viro Rev. Dn. D. Polycarpo, nec non clariſſimo D. Mylio præter verum & omne meritum ſcribens. p. 527. Honorarij Polyc. Tam innocens es ab hoc crimine, (ſcilicet ſeditionis)* quam inſons

olim

olim præco Myllerus à ſcelere turbatæ quietis & pacis in Auguſtana Republica.

*Accuſat Gryzerus, mollior mulier, viros cordatos, conſtantes, Heroes Theologicos, ſeditionis propter veritatis ſinceræ præconium & Heroicum pietatis Zelum: Beatus Lutherus ad cap. 6. Gen. p. 91. fatetur, ſe eandem cum D. Mylio expertum fortunam, & perturbatorem Germaniæ, virum rixarum vocatum à Pontificijs. Nos ait, hodie quoque habemur pro conturbatoribus Germaniæ, ſed bonum ſignum eſt, cum homines nos damnant, & vocant rixarum autores. Talis enim Spiritus Dei eſt, qui cum hominibus rixatur, eos arguit & damnat.*

*Miretur orbis Chriſtianus, Ieſuitas alios vocare autores ſeditionis, cum ipſi pejoris criminis rei ſint. Bellarminus enim inſigniter in Eccleſiæ ſtatu eſt ſeditioſus, Chriſtianorum regalia cœleſtia ad Ethnicos, non renatos transferre laborans.*

*Gre-*

*Gretzerus ſimiliter ſeditioſus eſt, pacem Eccleſiæ interturbans, dum Chriſtianam religionem ab illis, quos Bellarminus vocat Patriarchas hæreticorum, vult arceſſere, & ſic Ethnicis ſeditioſis in civitatem Domini, impetum faciendi viam ſternere. Hæc, hæc prima eſt, primas ante omnia ſcelera obtinens, Diabolica ſeditio.*

*Obijcis Suita Gryzere vocem Baaliticam Dn. D. Polycarpo, item D. Mylio hanc: Tu es qui perturbaſti Iſrael; qui pacem Brunſuuigæ, item Auguſtæ interpellaſti.*

*Egregium hoc eſt honorarium tantis viris Theologis Heroibus indignum. Recoque mendacij cramben Suita, per jugulum tibi ab Elia quaſi retorſam:* Tu Gretzere perturbas Eccleſiam: Tu es ſcelerate ſeditioſus, qui in colloquio Ratisbonenſi Spiritui ſancto litem movere, & de ejus impotentia ſtentorea voce proclamare auſus es. *Quod ſi libet ſeditionis reos veritatis præcones arguere, Gretzere, age O-*

*ge Origenem etiam dicas ſceleſtum, ſeditioſum, quem (ut habet Euſebius lib. 6. cap. 3.) ſimili modo tota civitas Alexandriæ non amplius tenere & tueri potuit, propter infidelium turbas, & inſidias ipſi juveni proprijs in ædibus ſtructas. Item Athanaſij ab Arrianis ſeditionis falsò accuſatum: Sozomen. lib. 3. cap. 8.*

*Non incommodè ad retundendam ſceleratam Suitæ calumniam afferri hoc loco poteſt exemplum Herodis, qui (teſte Ioſepho lib. 18. cap. 7. Antiq. Euſebio cap. 11. lib. 1.) ſub pallio fictæ ſeditionis, verum Dei præconem, Iohannem ad carceres damnavit, auſu ſanè Suitico Gretzeriano. Vide quæſo, benevole lector Lutherane, effigiem πράξεως, & calumniarum Ieſuitarum, penicillo Chemnitiano depictam: ſic ille Theologus incompar. Harm. Evan. ſcribit:*

*Cauſam captivitatis Baptiſtæ Euangeliſtæ hanc fuiſſe deſcribunt, (vid. veritatis & legis prædicationem) Ioſephus a. aliam cauſam aſſignat, quod ſcil: Herodes*

rodes timuerit, cum tantus populi concurſus fieret ad Iohannem, ne vel ipſe, vel ſaltem varium & mutabile vulgus per ſeditionem res novas tentaret.

Sed, ſicut Polybius de bellis Romano: ait, aliud eſſe αἰτίαν, aliud πρόφασιν. Ita vera αἰτία captivitatis Baptiſtæ fuit, quam Evangeliſtæ deſcribunt, prætextus verò, quo Scelus illud Herodes excuſavit ille fuit, quem Ioſephus deſcribit: Atq; ita conditio Baptiſtæ planè ſimilis eſt Eliæ: Imò ſimilis eſt omnium miniſtrorum verbi conditio: Semper enim in perſecutionibus prætextus eſt metus ſeditionis: Nam & hunc Iudæi voluerunt titulum eſſe crucis Chriſti. Et ſpecies illa ſive prætextus ille, magis excruciat, quàm ipſa perſecutio: Quando talis hypocriſis prætextum aliquem perſecutionis ſpargit, ita occupantur animi hominum, ut in publicas hiſtorias, tanquam vera cauſa à Ioſepho relatum ſit illud, quod Herodes falsò prætendebat. Et Phariſæi, pe-

Sic Ieſuitæ hodiè, Phariſæi poſthumi.

nes

nes quos in Iudaiſmo ſumma erat veru, odio miniſterij Baptiſtæ, violentiam Herodis diſsimulant, & ita confirmant falſam illam ſive ſuſpicionem ſive accuſationem, qua Herodes Iohannem prægravabat: vulgus Iohannem ut Prophetam habebat, ſed quia ad ſuſpiciones, præcipue contra Miniſtros verbi, patulas aures habet, nutat & variat. Phariſæis usq; adeò non diſplicuit illud, ut ſtatim cœperint agitare conſilia, de opprimendo etiam Ieſu, ſicut Iohan. cap. 4. v. 1. ait. Hactenus ille.

Sic hodie vulgus Pōtificium.

Speculum hîc habes, Lutherane Chriſtiane, Eſauiticæ eruditatis, crudelitatis, calumniæ. Ieſuitæ enim, recentiores Phariſæi, gaudent ſub πρόφασι ſeditionis optimos Theologos, carceri includi, vel furtim raptos Papæ tranſmitti, Vulcano offerri, & ſic conſequenter ipſi etiam Domino Ieſu inſidias ſtrui. Papa egregiè Herodianis fungitur partibus, interim acclamantibus Suitis, Rectè, rectè agis, ſancte Pater, quod pro ſcelere turbatæ pacis hunc i-

gne mactandum, uſtulandum jubes.

Bene eſt, ſcelerati Suitæ, implete menſuram iniquitatis, crudelitatis, calumniæ, Hypocriſis Phariſaicæ: valete inſtar Herodis, valete cum Patriarchis veſtris Phariſæis. Vale invalidè Gryzere. Nunquam aliquid valebit apud pios Chriſtianos tua ſcelerata calumnia.

Sed quid Honorarij loco reponam Gryzero pro hoc calumniandi ſcelere?

Accipe, quæſo, Suita vitulum illum Papalem ſemimonachum à Luthero Tom. 2 Ien. p. 270. depictum: In eo invenies vivam tuam effigiem.

Verùm quid iraſcor ſceleri blaſphemi, impij, ſeditioſi, exitioſi ſcurræ Gretzeri: Refutata eſt calumnia mera & mira Dei providentia: Refutata item Dn. Polycarpi integerrima, à ſcelere ſeditionis alieniſſima, vita, Brunſvvigæ, imò toti Saxoniæ notiſſima, nec non nuper emiſſa ſtrena Anticretzeriana. Obmuteſce igitur blaſpheme in Spiritum

Sanc

*Sanctum Gretzere, capeſſe, Epilogi loco, ſtrenam hanc Apoſtolicam. 2. Theſſ. 3. v. 1.*

*Quod ſupereſt* fratres, orate pro nobis, ut ſermo Domini currat, & glorificetur; ut eripiamur à turpibus & ſceleratis (*ſic enim Beza, Ieſuitarum ſocius vertit*) hominibus, *Eſauitis.*

*Nec inefficax erit hæc Paulina predicatio: Crede Gryzere: Theodoretus enim lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. ideam eventus tibi, Suita, dudum depinxit, in exemplo Iuliani, ita ſcribens: Ajunt deprecantem Sabam cum lachrimis ſupplicantem Deo, ſubito repreſſo fletu, lætitia repletum & vultu hilari fuiſſe: cauſam verò gaudij hanc dediſſe:* Suē agreſtem, vaſtatorem vineæ Domini pœnas exolviſſe injuriarum erga Dominum, & nunc jacere mortuum, nec amplius ab ejus inſidijs eſſe metuendum.

*Ecclesia vera ſimile Epitaphiū Gretzero & Bellarmino ponet.*

*Vade, vale invalidè, ne χῦ valens χύζων. Gryzere, blaſpheme, obmuteſce*

*ſus rancida, & ſordida adhuc ſordeſce., ut tibi & reliquis Suitis conveniat dictum Petrinum 2. Epiſt. cap. 2. v. 22.* Accidit eis (*Eſauitis*) quod vero Proverbio dicitur, canis reverſus eſt ad ſuum vomitum, & ſus reverſa eſt ad volutabrum cœni.

# Speculum Hæreticorum, Eſauitarũ, cumprimis Tanneri & Gretzeri, in Spiritum ſanctum blaſphemi, ab Euſebio lib. 5. cap. 27. ſuſpenſum & relictum.

SAcras ſcripturas audacter depravarunt, veteris fidei canonem abrogarunt: Chriſtum ignorarunt, neque